



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

4 Quot, & qui sint legis actus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

PUNCTUM IV.

Quot, & qui sint legis actus.

- 1 Quatuor enumerantur.
- 2 Propositur obiectio.
- 3 Satisfit obiectio.
- 4 Quomodo inhabilitas, & irritatio fit actus legis.

1 **R**espondeo quatuor enumerari a Modestino in l. legis virtus ff. de legibus. Leges (inquit) virtus hac est, imperare vetare, permittere, punire. D. Th. 1. 2. q. 92. art. 2. & communiter Doctores, ex his verbis colligunt nullam esse legem, quae vel non imperet, aut vetet, aut permittat aliquid faciendum, aut factum puniat. & ita probat, & variis textibus exornat Azor. tom. 1. in sit. moral. lib. 5. c. 5. quae ff. 5. Suarez l. b. 1. de legib. c. 15. & seqq.

2 Sed obicit potest: quia aliqui ex his actibus non distinguuntur; alij vero ad legem non pertinent. Primum enim imperare, non videtur distinguere a vetare. Nam prohibens aliquid fieri, imperat ne fiat. Ex alia etiam parte permissio, & punio, non sunt actus legis: nam permissio non inducit obligationem quatenus permissio est. Ergo non potest esse actus legis permissio. Item punio fit propter legem violatam. Ergo iam supponit totam legem. Ergo non est actus ipsius: alias etiam collatio praemij actus legis enumerabitur, & sic plures actus legis erant, quam quatuor enumerati.

3 Respondeo imperare, & vetare distinguere, tanquam affirmativum, & negativum: nam etsi omnis lex si in rigore sumatur, verè, & propriè imperet; ex communi tamen acceptione accommodatur solum legi imperanti aliquid positum Verbi gratia, auditionem Missae largitionem elemosynae: contra vetare, accommodatur est legi prohibenti actum, & imperanti negationem, quales sunt leges prohibentes furta, fornicationes, homicidia, & alia huiusmodi. De permissione autem, siue sit de bono actu, siue de malo: qua ratione ad legem pertinere possit? Dico non pertinere ad legem per se, sed consecutiue, quia non est lex respectu illius, cui est facta permissio, est tamen lex respectu aliorum. Nam eo ipso, quo tibi permittitur aliquid malum absque punitione facere, prohibentur iudices, & omnes alij, ne te obinde puniant, aut molestent. Quod si permissio non de aliquo malo sit, sed de aliquo bono, similiter etiam prohibentur alij, ne te in eius usu perturbent. De punitione similiter dicendum est obligare iudices ad eius executionem, & subditos, ut punitionem sustineant. Neque est simile de praemio, nam licet aliquando praecedat a superiore ferente legem; non tamen est necessarium ut ab illo semper procedat, potest enim fieri & consilium ab aequali, & inferiori oriri; idè quae punio est semper actus legislatoris, non tamen praemij collatio.

4 Solum de inhabilitate personarum ad aliquos actus, & de illorum irritatione, dubitari potest, an sit actus legis? Ratio dubitandi est: quia ignorantes afficit; quod de praecipis dici non potest. Sed dicendum est inhabilitatem personarum ad contrahendum, & irritationem actuum a lege oriri; quia lex ipsa prohibet, ne subditi tales actus validos efficiant: & licet ignorantem ligentur, quoad valorem actus, non tamen ligantur, quoad culpam. Quocirca lex irritans duo habet; & habet obligare subditos, ne efficiant tales actus, & habet obligare, ne validos illos efficiant. Hoc secundum verum habet, etiam si ignoranter procedant. Sic Suarez lib. 1. de legib. cap. 17. num. 10.

PUNCTUM V.

An materia legis necessariò debeat esse honesta, & virtuti conformis, & de differentia inter legem canonicam, & civilem.

- 1 Propositur ratio dubitandi.
- 2 Statuitur omnem legem debere esse de actu virtutis, & satisfi rationi dubitandi.
- 3 Expenditur differentia inter legem canonicam, & civilem.
- 4 Quando Ecclesiasticus viri debet legi civili.

1 **R**atio dubitandi est: quia plures sunt leges gubernationi politicae attendentes potius, quam morum honestati: qualis est lex prohibens actionem aduersus defraudantem infra dimidium iusti pretij: concedens praescriptionem possidendi bona fide aduersus proprium dominum: permittens meretrices, non puniens occisionem adulterae, & alia similes. Item saepe res indifferentes prohibentur. Ergo non est de ratione legis, quod sit de materia virtutis.

- 2 Certa tamen sententia est, omnem legem, siue naturalem

siue canonicam, & civilem necessariò esse de aliquo actu virtutis; quia lex omnis debet esse honesta, & rationi conformis: ut dixit Iudorus lib. 5. symolog. cap. 2. & refertur in c. omnis, lex dist. 3. tradit D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 3. sed ea quae sunt honesta, & rationi naturali conformia, ad virtutem pertinent. Ergo Item finis cuiuslibet legis est, facere subditos bonos, ut tradit D. Thomas receptus ab omnibus 1. 2. q. 92. art. 1. Sed non potest subditos efficere bonos, nisi id, quod imperat, bonum sit. Ergo. Item lex humana intendit ciues suos bonos ciues, scilicet, qui esse non possunt tales, nisi bonis motibus praediti sint. Ad rationem autem dubitandi facile respondetur, omnia illa ad pacem, & tranquillitatem reipublicae pertinere; quia lex civilis accommodatur humanae conditioni, & fragilitati, cui est conueniens, & honestum impunita relinquere aliqua minora mala, ne in maiora probatur.

Ex quo fit lege humana non prohiberi omnes actus vitiosos, imò actenta hominum conditione, neque prohiberi posse; quia actenta hominum conditione est conueniens ad rectam gubernationem aliqua mala permittere, & impunita relinquere. Ergo non potest esse conueniens omnia mala prohibere, & punire: & ita docuit Salas di. p. 9. de leg. ff. 2. m. 39. Suarez lib. 3. de leg. c. 12. n. 12. & lib. 4. c. 11. n. 3.

Neque obstat omnes actus vitiorum a lege naturali, & diuina prohiberi; quia lex naturalis, & diuina attendit, quid cuique conueniat, lex vero positua, quid communitati: & cum communitati hominum conueniens sit actenta eorum fragilitate, aliqua minora mala permitti, non potest esse conueniens omnia prohiberi.

Dices. Lex positua prohibens ea, quae naturali, vel diuina lege sunt prohibita, non addit specialem malitiam. Ergo si a lege naturali sunt prohibita, poterit lex positua, ea omnia prohibere, cum nullum grauiorem subditis inde imponat. Adde qui peccat aduersus legem naturalem, & diuinam, dignus est non solum poena apud Deum, sed etiam apud homines; ad iudicis enim pertinet curam, ut omnes leges naturales seruent.

Respondeo legem posituam non addere specialem malitiam legi naturali: addere tamen specialem subiectionem ad poenam, cui non est subiectus delinquens aduersus legem naturalem. Et licet de quolibet particulari peccato verum sit committentem dignum esse poena non solum aeterna, sed temporali, potestque a republica imponi: at de omnibus collectiue non est dicendum conueniens esse, ut imponeretur, imò potius est conueniens impunita relinquere.

Ad illud verò, quod addebat de rebus indifferentibus, respondeo res indifferentes, qua ratione indifferentes sunt, non esse materiam legis; esse tamen quatenus necessariae, viles sunt ad finem a legislatoe inuentum: semper enim legislator finem habet honestum in lege ferenda; & ex huiusmodi honestate, res de se indifferentes honestatem recipiunt, ut bene dixit Suarez lib. 3. de legib. cap. 12. n. 16. Bonac. di. p. 1. de leg. q. 1. p. 5. num. 4.

3 Aduertenda tamen est differentia inter leges canonicas, & civiles: nam licet omnes leges tam canonicae, quam civiles honestatem, & virtutem respiciant, leges tamen canonicae primò, & per se virtutem respiciunt, quatenus media virtute ad finem (supernaturalem) homines diriguntur; leges autem civiles respiciunt virtutem, & honestatem, quatenus ad rectam, & conuenientem gubernationem conducunt: eaque de causa materia legis civilis temporalis est; materia vero legis canonicae spiritualis, ut colligitur ex cap. si licet, de maior. & obed. c. p. bene quidem, cap. si Imperator, & alia 96. dist. & tradunt doctores in cap. Eccl. si de constitutionibus. & in l. omnes populi ff. de iust. & iure. Neque obstat lege civili prohiberi clandestina matrimonia, iuramenta, vitas, incestus, & alia, quae etiam lege canonica sunt prohibita, & spiritualia sunt: quia non prohibentur, quatenus impediunt homines a fine supernaturali consequendo, sed quatenus impediunt pacem, & rectam reipublicae gubernationem, & sic harum materia temporalis est. Adde huiusmodi leges civiles punientes hac delicta iuuare maxime canonicas leges, & in eorum subsidium sunt admittendae. Vide Couarr. 4. decret. in princ. n. 18. & seq. Th. Sanchez, lib. 3. de matr. di. p. 47. n. 1. e. Suarez lib. 4. de lege canonica c. 11. n. 6. & seqq.

4 Secundò aduerto saepe iudices Ecclesiasticos viri in litibus definiendis, & poena delinquentibus imponenda, legibus civilibus. Primò si lex civilis sit iam ab Ecclesia canonizata, hoc est, acceptata: nam tunc non obligat virtute civilis legis, sed quia est lex canonica, ut coningit in c. 1. & 2. de possess. & propr. c. cap. in prima, & gloriosus, dist. 11. & ibi glossa. Aduertitur optimè Suarez, lib. 4. de leg. c. 11. n. 15. cum Abbate in c. super eo, de res. n. 4. & Felino ibi n. 3. Rebuffo, Gutierrez, & aliis non censeri approbatam ab Ecclesia legem civilem, ex eo quòd Gratianus in suo decreto illam inseruerit, sed necessariò ab aliquo ex Pontificibus debet approbati: quia Gratianus non habuit auctoritatem leges canonicas condendi; ac proinde neque civiles leges canonizandi.

Secundò viri debent iudices Ecclesiastici legibus civilibus